



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 199. At illi instabant vocibus magnis postulantas, vt crucifigeretur. v.
23.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

§. 198. *Et dimittam. v. 22.*

Iam dixit ineptissime; se velle innocentem emendare, nunc addit peius, se velle Iesum Salvatorem dimittere. Quid est Iesum dimittere? velle à se abdicare, nosse apud se remanere. O quam malam est cum impijs conuersari! Ecce iste Pilatus egit cum Iudæis, qui iam Barabbam latro-nem prætuleraut auctori vitæ: cum his agens Pilatus iam didicit operarum, interea dum etiam eis obnirtitur, nam & ipse se subtiliter elongat à Iesu, & eum, quem intererat teneri apud se vult abdicare à se, vti Iudæi.

O Pilate, si tu vis innocentem corripere; profecto teneris eum apud te retinere, & pro iniuria in gratiam Iudæorum irrogata mulcere, demereri, placare; Hoc malum est consilium quod iniisti, & quartus gradus, quo ad iniquitatem descendisti. In tale tuum & Iudæorum consilium, non veniat anima mea.

§. 199. *At illi instabant vocibus magnis postulantes, vt crucifigeretur. v. 23.*

Ecce quomodo impij aperiunt os suum, vocibus magnis clamantes vt dimittatur impunè nocens, & crucifigatur innocens; iam enim condescendente cum eis sæpe Pilato didicerant esse audaces, vti filios indigentia patribus blanda, nō solum facit segnes; sed etiam nequā. An non enim nequam erant hi qui accedentes ad Pilatum erant accusatores: nunc postoram sunt Iudices & dictatores sententiæ in Christum. Certe eximij nequam sunt isti, qui ita deceperunt indulgentem Pilatum.

O Deus, da obsecro animi magnitudinem Rectoribus populorum, vt aspernantes indulgentiam ineptam, ausint perire impete iniquitatem, ne condescendendo subditis, à subditis, in suam & subditorum perniciem trahantur in malum.

§. 200. *Et inualescebant voces eorum. v. 23.*

Dupliciter, secundum altitudinem, & multitudinem, plures enim tam civium, quam exterorum aduenientes conclamabant, & de submissio tono ad altiore contendebant voces. *Crucifige, crucifige eum.*

Bone Iesu, in quo statu hic est Præses, vult te innocentem castigare, & tunc dimittere: Hic populus vult te non castigari, sed crucifigi, & ne quidem probrole habitum dimitti, tumultuans contra tam Iudæorum, quam Romanorum morem, vt crucifigendus prius castigaretur, ita sitiunt mortem tuam.